



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Padvano Et Cenetensi Episcopis, & Abbati sancti Martini de Colle
Cenetensis diocesis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

rotiens prætaxatam pensionem exolvi, non tamen ostenditur tanto tempore præstita quòd usque ad præscriptionem legitimam porrigitur. Item, sicut ad rei propria probationem locatio facta non sufficit, ita nec solutio nec perceptio pensionis. Licet etiam idem Lucius prædecessor noster scriptum mandatum Sabinensibus dederit circumventus, credens, prout ei suggestum fuerat, ad Sabinensem episcopatum prædictum locum & Ecclesiam pertinere, ac Farfenses monachi propulsando injuriam ab eisdem Sabinensibus irrogatam retinere curaverint Ecclesiam memoratam, propter hoc non erat Episcopo restitutio facienda; maximè cum è vicino contrariam esset sententiam super petitorio excepturus, & qui petit quod redditurus est, dolum facere dinoscatur, sicut in civilibus legibus continetur. Medietatem quoque oblationum specialium quorundam dierum idem Episcopus in eadem sibi Ecclesia vendicabat, quam eidem de plano procurator vestri monasterij recognovit. His igitur & aliis intellectis quæ coram Cardinalibus supradictis pars utraque proponere procuravit, quia nobis constitit supradictam Ecclesiam sancti Angeli constitutam esse in diocesi Sabinensi, de consilio fratrum nostrorum episcopale jus in omnibus spiritualibus eidem Episcopo adjudicavimus in eadem, illis duntaxat exceptis quæ per authentica scripta ei dinoscuntur esse subtrahenda; hoc ad cautelam expresso, ut medietatem oblationum prædictorum dierum, quæ, sicut dictum est, ipsi procurator recognovit jamdictus, in eadem Ecclesia * percipit annuatim. Quia verò instrumentum prædictum, per quod Episcopus supradictam Ecclesiam intendebat sibi quoad * temporalia vendicare, ad faciendam super hoc fidem invalidum esse cognovimus, utpote propter prædicta de jure suspectum, vos ab impetitione ipsius quoad temporalia ejusdem Ecclesie sententialiter duximus absolvendos, eidem super hoc silentium imponentes. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ diffinitionis &c. usque incursum. Datum Viterbij 11. Non. Augusti, anno duodecimo.

PADVANO ET CENETENSI
Episcopis, & Abbati sancti Martini
de Colle Cenetenfis diocesis.

EX litteris venerabilis fratris nostri Duraciensis Archiepiscopi nostris est auribus intimatum quòd cum Ecclesie Duraciensis Canonici eundem in Archiepiscopo

copum elegerint, & venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha electionem confirmasset ipsius & in Episcopum consecrasset, eumque direxisset ad regimen Ecclesie memoratae, . . . Rector Venetorum, qui domos, possessiones, thesaurum, & alia bona dictæ Ecclesie occuparat, non permisit eundem Duraciensem ingredi civitatem nec in ejusdem territorio commorari, & cum quadam vice tamquam extraneus eandem civitatem intrasset, ipsum per suos satellites recedere coegit ab illa; propter quod accedens Venetias, à nobili viro Duce Venetorum & Consiliariis ejus humiliter petiit ut archiepiscopatum prædictum ipsum permetterent liberè possidere; sed iidem non solum preces non admiserunt ipsius, verum etiam noluerunt aliquatenus sustinere quòd ipsum quisquam Archiepiscopum nominaret, asserentes neminem in suo districtu nisi Venetum debere vel posse perfrui ecclesiastica dignitate, nisi forsitan de ipsorum consensu extiterit ordinatus. Cum igitur hæc, si vera sunt, in præjudicium sint libertatis ecclesiasticæ attentata, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus prædictos Ducem & populum Venetorum ut ipsum in archiepiscopatu prædicto, prout ad ejus officium pertinet, permittant liberè ministrare, præcipientes Rectori & Venetis apud Duracium commorantibus ut restitutis bonis Duraciensis Ecclesie universis, eidem super archiepiscopatu præfato & pertinentiis ejus nullam inferant molestiam vel gravamen, moneatis prudenter & efficaciter inducatis, ipsos ad hoc, nisi aliquid rationabile quare id fieri non debeat objectum fuerit & ostensum, per censuram ecclesiasticam subblato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo compellentes. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Viterbij x v. Kal. Septembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

ALBANIENSI EPISCOPO.

EX litteris venerabilis fratris nostri Duraciensis Archiepiscopi nostris est auribus intimatum quòd cum Ecclesie Duraciensis Canonici eundem in Archiepiscopum elegerint, & venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha electionem &c. ut in alia usque Rector Venetorum apud Duracium commorantium &c. ut in alia usque recedere coegit ab illa. Cum igitur hæc, si vera sunt, in præjudicium sint libertatis ecclesiasticæ

Y y ij